



AUCTORIS
HISTORIÆ CONGREGATIONUM
DE AUXILIIS
DEFENSIO
 Adversus Querelam
CAROLI GASPARIS METZENII
 Academiae Trevirensis Syndici, cui accedit
 Appendix.

MONITUM.



Ulla ad umbilicum opella, nunciatum est, Italiae Socios supplicem Monitionem, Illustrissimo Archiepiscopo Rhemensis ante annum tertium oblatam, & Leodiensem Epistolam, Abbati, Auxiliorum Historiam medicanti, olim inscriptam, italice reddidisse, ac studiose disseminare: ut turbatos suorum animos ericant, illosque in Molinismi fide contineant. Vulgata enim per Italiam Historia nostra,

Pavor ingruit ingens
 Omnibus, inque pedes animus
 mox decidit omnis. (1)

Erit fortasse, qui stupeat, dum veteres nenas novam in scenam induci, videt, putidisque fabellas, a nobis iam dudum data opera confutatas, novis vobis decantari; iis plane dissimulatis, quae scriptis in oppositum: quasi obliterari illa possent, & ab eruditorum mentibus deleri tam brevi spatio. Nos contra, nihil ista miramur, quibus dudum perspectum est, si quid ab Sociorum aliquo, alicubi gentium, in communis causae praesidium scriptum est, id a ceteris ubique terrarum, velut ex condito, indefinenter obrudi, atque ad ravam usque decantari; tametsi fuerit id senectis descriptionibus confutatum.

Id scilicet in Societate videre est, quod olim in Dodonaeo Jovis Templo. Erat illud, ut scribit Suidas, (2) Lebetibus aereis undique cinctum, ita ut invicem sese contingerent: unde necessum erat fieri, ut, uno quopiam pullato, vicissim & omnes resonarent, sonitu per contactum ab aliis ad alios succedente: durabat in longum tempus tinnitus ille, videlicet, per orbem redeunte sono. Ita nunc Socii: si quis alicubi, communis commoti studio, namiam aliquam, etiam lugentibus cunctis, praecipuerit, eandem ubivis gentium ceteri vocem reddunt; idem carmen, quasi succedente per vices sono, alii succinnunt: ut plane

Tot pariter pelves, tot tintinnabula credas
 Pullati. (3) Nec spes est, ut sibi temperent, oraque comprimant; tametsi fulem canthilenam, congestis magna mole libris, eventiles: sed contra porius, obfirmatis animis, rurnique exitu distimulato, eandem exo integro fabulam ingerent: ut in minus eruditus, at aurito gregi, & servo pecori, succum faciant.

(1) Homer. (2) Apud Manni. in Adagio. (3) Juvenal.

Obsoletos itaque libellos, Italico idioma recusos, quid miremur? Recudent fortassis Hispanico, Germanico, Anglico, ac, si Jovis ita tulerit, Arabico, atque Turcico. Sed quid nos interrim? Id unum reponere juvat, quod alias Augustinus Juliano, easdem ingerenti nenas, reponerat: (1) Jam reponsum est, nil novi dicere potes: tace si potes; sed neque hoc potes.

Ceterum, quod praemissa, recusis libellis, Praefatione hariolantur, Leodiensem Epistolam, tanquam abscissum de monte lapidem, (2) universam Auxiliorum Historiam, uti Nabucodonosoris statuam, comminuisse, ingens profecto philauria, turpisque jactantia argumentum est. Epistolam illam rapsodiam, ante annum tertium evulgatam, atque a nobis cumulatissime dispunctam, lapidem inutilem, opus manus antiquae, (3) ceteri plane omnes appellant; qui Auxiliorum Historiam lectitarunt: nemoque, affectu vacuus, inventus est huius, qui, rationum nostrarum momentis expensis, quos funditorem Leodiensem exagitavimus, non illico illud Jobi 41. v. 19. pronuntiaverit: In stipulam versi sunt lapides fundae.

Alterum, quod narrat, ejusdem Praefationis caput (nihil enim hactenus, praeter auditum, habeo) minus moror: insubstantiam videlicet, fatuanguae Jansenismi accusationem, qua nos remere, ac pro arbitrio sugillant, quasi in Janseniana officina nostra Congregationum Historia causa fuerit. Est hoc jam dudum rubigine retum exesum, quo prius Augustiniana doctrina vindictae ab amulis appetitos novimus, ut illis, si fieri quidem posset, ora praeraderent. Quotiescumque nos, inquit D. Prosper in Responso ad Capitula Gallorum, Cap. 41. contra eos suscepimus, dixerunt, nos ex haereticorum argutiis contra se agere. Videntas enim, se ita sperari, ut respirare non possint, hanc calumniam semper Catholicis irrogant: ut dum timent, se haereticos infamari, in silentio loquelam veritatis ardent. Ravcam itaque, frivolanque accusationem, quae dudum in vulgi fabulam venit, nauci facimus: Italum Editorem calumniae postulamus: ac sicut Augustiniana, Thomisticaeque doctrinae assertores, ac vindictae sumus, ita omnem ab Ecclesia reprobatae haeresim execramur.

CAPUT PRIMUM.

Caroli Metznenii, Sindici Trevirensis Querela,
 Descriptionis occasio, & argumentum.



Alter annus agitur, ex quo Congregationum de Divinae Gratiae Auxiliis Historia vindicata publicis typis data est. Vix lucem aspexit recentis saeculae liber, cum statim rumor incescit, viros aliquos eruditos, qui se, molliter licet, ac modeste perstridos, aegre ferebant, jam tunc calamum acuisse, ac nonnihil contra nos parturire: aut quia vere id agerent, aut quia ita credi, illorum forsitan intererat. Mox quorundam in Societate primae notae, quibus Historia nostra constatarum provincia demandata esset, distincta nomina fama vulgavit; ut nos intra breve spatium contrariis descriptionibus obrutum iri, nemo non crederet. Verum post longam temporis moram, quae maturandis factibus satis esset, nihil librorum vulgari cernimus, sed novam, atque inauditam labefactandae Historiae nostrae viam iniri. Nonnullas Germaniae Academas, quas pene omnes moderantur, ac regunt, quarum & Cathedralis occupant, & literarios gradus pro nutu dispensant, in scenam inducunt, quae in nos censoriam virgam exerant. Posito itaque calamo, donec meliora succurrant, suas interim infulas fumunt: novique tituli beneficio, Actoris persona deposita, Judicis induunt: & incautos, qui Societatis viros scholas illas imperio regere, ipsaque Societatis Gymnasia Academicarum titulis ornari, neciunt, magni nominis umbra terrefaciunt.

Carolus Gasparem Metznenium, Trevirensis Academiae Syndicum, ante menses aliquot occuparunt, qui tanquam publici Fisci Procurator, in Comitibus Universitatis, die 16. Novembris (4) dato Libello, Historiam damnationem apud venerandos Patres, quos inter adversa mihi pars sederet iudex, urgeret pro viribus: nullam mihi erroris notam inrens, (ne quis illum tuenda Religionis zelo ductum existimet) sed id unum vitio vertens, quod data semel, & iterum occasione, Serry Tom. II.

minus benignum de nonnullis Germaniae Academicis testimonium misicuisse.

II. Et quidem (ut quae mihi earum Academicarum occasione inter scribendum exciderint, paucis exponam) dicam ingenue, quod res est. Cum in hanc de Divinis Auxiliis moram litem, ubi Societatis res agebatur, & causa, se se identidem intulissent Germanicae Academiae, quas jam tunc moderabantur, & occupabant, ut de contraversa doctrina iudicium ferrent; postulavit instituti operis ratio, iustaque defensionis titulus, ut contra illarum Censuras exciperem, & universa, quae earum suffragium elevari posset, advocarem. Ecurr enim Societatis Theologos, sub honesto Academicarum titulo latitantes, domesticae causae iudicium affectare, & adversam partem Censuris inurere permisissent, compresso libello, quafaroque calamo?

Id cum primis exsecutus sum Lib. 1. Cap. 3. ubi, post narratas Belgicarum Academicarum Censuras, quibus Lessius, & Hamelius anno 1587. inusti fuerant, illos ad Theologos Trevirenses, & Moguntinos provocasse, noto, in haec verba: Genialis Academicarum Censuris petiti, desperatis rebus consulendum, Jesuitae iudicaverunt. Academiae Trevirensis, & Moguntinae concitaverunt in sua doctrinae qualicumque praesidium, obscuro certe nominis Academicas, in quibus non triduo, ut de causarum Patronis aiebat Tullius, sed uno mane Doctores Theologi fabricantur. Tum nonnulla momenta exsequor, ut ostendam, quam leve, quam elumbe de orta Lovanii Controversia iudicium tulorint: actandem Episcopos bene multos, aliosque meritisimos viros, Censuras Belgicas comprobasse, obferro, despectis, contemptisque volatis Germanorum iudicis. Et hic quidem de Trevirensibus duntaxat, & Moguntinis mihi sermo fuit, quos Lovaniensium, & Duacensium comparatione, obscuro nominis Theologos dixi, & subitae saeculae Magistros: cum contra, in Belgicis Academicis, toto Orbe celeberrimis, Doctores leno molissime ac repetitis per annos multos difficillimis experimentis, Sapientiae veluti sacris iniciuntur.

Secundam adversus easdem, aliaque nonnullas Germaniae Academiae exceptionem dedi Lib. 2. Cap. 4. Scripti cuiusdam, a decem Jesuitis elaborati,

V 2 oc.

(1) Lib. 6. contr. Jul. (2) Dan. 2. (3) Sep. 13. v. 10. (4) an. 1700.

occasione, quo Molina doctrinam, multis pigmentis obducam, uti Fidei Catholicæ testeram, propugnabant; (1) Thomisticam vero, atris coloribus expressam, gravissimis erroris, atque hæreticos notis inurebant. Cum enim ante annos aliquor non ita unctum caput exultissent Molina vindicæ ex Hispanicarum Academiæ consulatione, a quibus Melinismus Pelagianismi notarius fuerat; jamque Romani Cognitores, ab Apostolica Sede delegati, ærem in eum Censuram expeditissent; imminentis Judicii Pontificii metu percussi, suas illas, quas jam tunc occupabant, Germanicas Academiæ in auxilium invocant, quas, edito famoso scripto, calculos adderent; ut hac arte committerentur variarum gentium Academiæ, & incautos, qui eas a Jesuitis occupari, nescirent, grandi nomine recederent. Quare, ne officio dessem, neve causam omnino proderem, exceptionem adversus Germanicas illas Academiæ dedi, quam modestissime potui. Erat hæc, inquebam, *solemnis Scholæ Thomistica accusatio, ad supremum Ecclesiæ Tribunal propediem deferenda: Cui quidem ut robor, & auctoritatem addecerent, variarum obscuri nominis Academiarum (in quibus & ipsi tunc maxime dormitabant) Ingolstadiensis scilicet, Græcensis, Dillinganæ, Wirceburgensis, Moguntinæ, Missipontanæ, Trevirensis, & Viennensis subscriptiones extaserunt, privata quidem industria, nec sine numerate pecunie suspiratione.*

En qua Syndicum Trevirensis commoverunt, ut me, alieni licet juris, ac fori, coram Universalitatis suæ tribunali, ubi adversa mihi pars sedet Judex, tanquam violatæ Academiæ Majestatis reum ageret; vulgarique per Germaniam declamatione, cui *Iusto Querele* nomen dedit, classicum caneret, quo cæteras Academiæ, Societati jam ducem in disciplinam traditas, in virum liberum concitaret. Ob id unum me, ceu Germanicæ Gentis profectum hostem, mille conviciis oneravit; ignisque, & lambitægiæ minitatus, uti *Traductorem infamem, atris ingenii vitium, impudentem, tenebrosam, lycophantam, Lacerationem, mendacem, blateronem, impudentissimum, vesperitilionem* excipere, nil veritus est Christianæ Charitatis amulorum, quem, salva virgine, tot brevi pagella convicia expressit, nemo credat.

III. Mihi quidem constitutum fuerat, nil contra reponere, sed libellum exiguum brevi in oblivionem iturum, silentio proterere. Verum, partim amicorum hortatu, qui notam haud levem Historiæ nostræ instam querebantur, partim malevolentium artibus, qui vulgaratam declamationem, verbis quidem brevem, conviciis tamen longam, non uti privati hominis fœtum, sed uti publicæ Academiæ Instrumentum, quaquaversum difeminabant, fidemque illi conciliare satagebant; reponere coactus sum, levi quidem manu, & intra modum; ne quis laborem hunc obrectandi libidine a me susceptum existimaret.

Itaque textrinum ingressus, denuo hanc Germanicarum Academiarum telam capere, ac novo labore veluti redordiri, animus est. Quæ obiter in transcurfu duobus illis locis, a Syndico Trevirensi in invidiam traductis, inueneram, lenito ductu, & plenius exsequat, distinctique fidem asseram: quo me, adversus Germanicarum Academiæ iudicia, jure, meritoque excepisse, liqueat, nec plus æquo earumdem dignitatem, auctoritatemque (spectata potissimum rei controversiæ, ac temporum conditione) deprexisse. Opus ægre molior, invidiæ plenum, quippe qui querelas nec tunc quidem gratas esse sciam, cum sunt

(1) an. 1799.

necessaria: at ab his invitis provocor, quorum forsitan intererat, nonnulla, de se leviter dicta, prudenti silentio diffimulare, ne longiore invidiolæ contentionis funem ducere cogerer.

Mordacioris nihilominus Syndici diceria, probra, convicia, quæ me sua illa vulgaratâ declamatione confudit, furda aure præteribo, nec adversarium ratione mordebo: ac licet, qui male dicunt, id vulgo consequantur, ut male audiant, nihil a me, nisi Hieronymi dictum, accipiet, tanquam opportunum quibusvis maledictis antidotum, Lib. 3. Apologia contra Rufinum Cap. ult. *Possem ego tuis te coloribus pingere, & insaniere contra insanientem, & dicere, quidquid vel scio, vel nescio, & eadem licentia, immo furore, & amentia, vel falsâ, vel vera congerere, ut & me loqui, & te pudent, audire: & obijcere tibi, quo aut accusantem damnarent, aut accusatum, ut ex frontis duritia fidem Lectori facerem; ut quod impudenter sciberem, vero scibero judicaret. Sed procul sit a moribus Christianis, ut dum aliorum petunt sanguinem, suum offerant, & sine gladio voluntate homicide sint.*

CAPUT II.

Nonnullarum Germanicæ Academiarum iudicia, quibus transmissa Societatis scriptum anno 1599. approbarunt, a supera Congregationum Historicæ jure rejecta.

I. Exceptionem a nobis datam contra nonnullas Germanicæ Academiæ, quæ pendentes de Divinis Auxiliis Controversiæ iudicium affectaverant, nemo iniquo feret animo, nisi qui jus inauditum, ac novum in propria causa iudicandi Societati vindicare; quodque ne summis quidem capitibus leges arrogat, eisdem Professoribus datum vellet. Societatem, in ea prægravi de Divinis Auxiliis mota lite, ab Academiâ Lovanienti primam, tum a Prædicatoribus intentata, cuius Historiam adornavimus, tanquam pro ætis, ac facis decertatæ; causamque privatorem, quorum occasione emererat, scissæ suam, collatisque consiliis, ac viribus, defendisse, comperta res est, lippis, ac tonsoribus nota. Id si probare volevero, ludam operam, Solemque lucrere meridie, demonstrabo. Hoc igitur unum scire juvat, quænam illæ fuerint Academiæ, quæ in eam se litem intulere, de controversa doctrina, datis suffragiis, pronunciarunt, causamque Societati, adversus Prædicatores, ac Lovanientes, adjudicarunt: ut hinc tandem æqui, bonique viderint, jurene, an injuria, ab illarum iudiciis provocaverim, quod sibi causæ propriæ, aut certe domesticæ arbitrium arrogassent.

Sunt illæ admodum octo: Græcensis, Missipontana, (quam ex obsecrantia Germanicæ Academiæ adnumerabant, cum in Lotharingia sita sit) Dillingana, Moguntina, Trevirensis, Wirceburgensis, quam & Hebipolensem appellant; Ingolstadiensis, & Viennensis: ipsa scilicet Societatis Collegia, Academiæ privilegii, ac tituli aucta; aut certe scholæ publicæ, quas ea præsertim ætate moderabantur: ut non tam Theologi affectu vacui, quam Jesuitæ ipsi, in quos intentata lis erat, pro sua ipsorum doctrina suffragia tulisse, atque in partem adversam pronunciasse, putandi sint. De singulis dicam ex ordine; quæque obiter in Additis ad Historiam nuper attigi, paulo distinctius, & accuratius advocabo. Non pauca enim novo studio deprehendi, quæ minus antea observaveram.

II. Ac primo quidem, Academiæ Græcensem, nec non Missipontanam, a prima institutione, nisi Societatis Gymnasia fuisse, ac etiamnum esse, a Carolo Archiepiscopo Austriae, & Carolo Cardinali a Lotharingia fundata, quibus Academiæ titulos, jura, privilegia, & graduum conferendorum facultatem Romani Pontifices concessere, nemo nescit. Exstant ea de re distinctæ Constitutiones Sixti V. anno 1585. quæ incipit *Consist. Patriæ*; & Gregorii XIII. anno 1572. cui initium est *In supereminenti*.

Par Dillinganæ Academiæ conditio. Societatis scholam in publicam Academiæ erexit Otho Cardinalis Truchesseus, hæcque totam, & integram eorumdem curæ permisit, anno 1564. Ita Sacchini Lib. 8. Historiæ Societatis, num. 107. *Dillingæ Ordo Cardinalis Augustianus, qui anno priore partem excitate ab se Academia Societati tradiderat, perpetuati ejus, commoditatique consuluerat, totam 16. Kal. Septembris quam optime inde habendam permisit. . . . Magna ceremonia totam Academiam Societati permisit.*

Eandem, non initio quidem, sed lapsu temporis, fortunam fortæ sunt, quæ sequuntur quatuor Academiæ, Moguntinæ, Trevirensis, Herbipolenfis, & Ingolstadiensis. Quamquam enim ante ortam Societatem institutæ essent, multoque admodum annos perennassent; atamen partim Bellorum civiliu turbine, partim hæreticos Lutheranae, & Calvinianæ, late cuncta in Germania depascentis, furore, pene collapsæ, Societati demum in disciplinam traditæ sunt, ejusque curæ commissæ, decimo sexto vertente seculo, ut vel hoc pacto restitui possent: Sic, ut eæ quoque Academiæ longe ante annum 1588.; quo se primam in hæc de Divinis Auxiliis litem intulerunt, Societatis Gymnasia censerentur, conferendorum graduum auctoritate, ac privilegii communia.

De Moguntina enim ita scribentem habemus Jacobum Middendorpium, Procancellarium Coloniensem, Libro 2. de Academiis Orbis, quem anno 1572. Pio V. Pontif. Maximo nuncupavit: *Moguntinam Dietibus Isenburgen Archiepiscopo, circa annum Domini 1482. instituit. Nunc Philosophia, & Linguarum cognitio, ac Sacra Theologia per Dominos de Societate Jesu illic traditur: reliquæ disciplinæ parum florent. Distinctius vero pronuntiat Andreas Mendo e Societate Jesu, Libro 2. de Jure Academico, quest. 3. *Moguntina Academia, instituta anno 1482. a Dietbero Isenburgo Archiepiscopo, Patribus nostræ Societatis jam diu tradita est, in eaque Philosophiam, Linguarum novitiam, & Theologiam adocuit.**

De Trevirensi non ab similitur statuit Franciscus Sacchini, Libro 4. Historiæ Societatis suæ, n. 100. *Joannes a Petro, Archiepiscopus Trevirensis, Academiam Trevirensis, olim celebrem, jam funditus collapsam, restituere cogit: ad Societatis homines curam applicat. Quocirca Middendorpius, loco jam a me appellato: *Trevirensis hæc Academia antiquissima quidem Academiarum Germanicæ esse creditur: sed propter varias mutationes, temporisque injurias, fere collapsam, nuper, prudentissimi Archiepiscopi Joannis voluntate, & munificentia, Domini de Societate instauravit; in quos nimirum Academia jura translata sunt.**

Herbipolensem, seu Wirceburgensem Academiæ, bellorum injuria collapsam, Societatis Professoribus datam anno 1564., ut suis illam studiis, & curis erigerent, notat idem Andreas Mendo, & Middendorpi suffragio confirmat. *Herbipolenfis Episcopus, & Princeps, Fridericus Urben, & Provinciam instauraturus, a religione,*

& literis, quæ una fere interierant, exordium duxit: & anno 1564., dum adhuc fluctuabat, Societatis Jesu Patres evocavit, illisque Juvencensem, tam in bonis litteris, quam pietate, & moribus erudientem, instituendamque commisit. Academia scilicet illorum curæ commissa.

Prostratam tandem injuria temporum Ingolstadiensem Academiæ, illucque Societatem suam, ut erigeretur, ab Alberto Principe advocatam, (1) magna pompa describit Orlandinus Lib. 16. Hiltor. num. 23. & 24. *Necessitati occursumus Albertus, Ingolstadiensem Academiæ, valde collapsam, restituere, & instituto Adolescentium contrubernio, idoneam sobolem statuit educare. Horum operum adiutores coram Canisio, per litteras ab Ignatio, homines ipsorum a numero viginti postulat, Templum, Domum, sumptuosæ vite necessarios largæ pollicetur. . . . Octiduum, salutato Pontifice, Octavo Idus Junias profecti sunt pedes. Tum subinde, narrata munificentia Principis, qua novos excepit Academiæ instauratores; a quæ Scripturæ sacræ, Theologiæ, Rethoricæ Cathedras regi voluit, primisque surgentium studiorum exercitationibus recentis, id coronidis loco ponit. Singulos autem socios solemnem Sacramento in membra Academiæ cooptari, Princeps voluit. Et duos, quantum Philosophiam ipsi non docerent, tamen in Philosophorum ordinem assumi, qui consultationibus interessent, & promovendorum ad solennes gradus experientis. . . . Dux mirum in modum successu lectus, serio de extruendo a fundamentis, certisque reditibus firmando Collegio, deque amplificando operarum numero cogitavit: quod postea cumulatissime factum est.*

Nihil itaque dubitandum, quatuor illas, proximæ recentitas Academiæ, in Societatis clientelam, & curam devolutas, eodem cum prioribus loco habendas; nec nisi Societatis scholæ reputari oportere, quibus vetus Academiæ titulus adhæret, ne profus excederent. Nec alio profecto nomine a Germanis in præsentia censentur, quibuscum frequentes ea de re collationes habere, contigit.

III. De Academiâ Viennensi paulo temperantius pronuntiaverim. Quamquam enim illa anno 1529. Turcarum obfidione plurimum detrimenti cepisse sciam, (2) ac tum pene ad incitæ redactam sub Ferdinando I., dum hæresis, Germaniam depopulata, magnam Doctorum, & Professorum partem invasisset, quo tempore in eam admissa Societas est, ut ejus ope muniretur; nupiam tamen legere contigit, uni tuæ Societati traditum litterarum imperium, ut unico illorum Collegio Theologica Disciplina concluderetur. Duas nihilominus illi tunc attributas Theologiæ Cathedras, scribit Franciscus Sacchini, Lib. 2. Historiæ Societatis suæ, num. 118. *In Viennensi Academia plerique Doctorum erant dubiæ fidei: Idcirco Societatis Doctores auctoritate Cæsares confirmavit; eorumque duos in Academia divinas tradere disciplinas voluit. Nec multo post, tantam illic auctoritatem obtinere, seu quod censenti apud Imperatores gratia fruenterent, seu quod omnes pene Cathedras regerent, cæteraque nonnisi instituti ab iisdem discipuli occuparent, seu quod sacras litteras plerique Religioforum Ordines minus colerent; ut cuncta nutu moderarentur, ac majori forsan imperio, quam si (quod in aliis acciderat Academiis) intra domesticos lates Facultatem Theologicam conclusissent. Qui enim alibi domi tantum, illic domi simul, ac foris imperitabant, ac etiamnum imperant.*

Neque vero id mirum, aut Academiæ Viennensis

(1) an. 1556. (2) Midden. Lib. 5. edit. 2. Mendo Lib. 2. qu. 1.

nenſi ſingulare: Societati quippe ea lex eſt obſervatione digniſſima, ut Academiaſ veſtigales ſibi faciat; nec in eaſ admittatur ipſa, ſed illaſ potius admittat; & quidem ex charitatis officio, non leges ab iſis acceptura, ſed datura, uti moderatrix, & domina. Ita nempe 4. Conſt. Parte, Cap. 11. De *Univerſitatibus in Societate admiſſendis* ſancitum eſt. Eadem charitatis ratio, qua Collegia admittuntur, & publice ſcholaſe in eis, non tantum ad noſtrum, ſed magis etiam ad externarum adſcriptionem, in doctrina, & moribus tenentur, extendi poterit ad *Univerſitatum curam ſuſcipiendam*: ut in eis hic fructus extendatur, latiusque pateat tam in ſcientiis, que traduntur, quam in hominibus, qui ad eaſ convenerunt, & gradibus, ab queſ promoventur: ut in aliis locis cum auctoritate docere poſſint, quod in his bene ad Dei gloriam didicerint. Quibus tamen conditionibus, & obligationibus, quibusque in locis, huiusmodi *Univerſitates* admitti debeant, ei, qui ſupremam curam Societatis habet, iudicandum relinquitur; qui, *Aſſiſtentiam ſibi auditis ſententiis, & aliorum, quos in conſilio adhiberi vult, per ſe ipſum deliberare poterit, an ſit admittente.* Non tamen, poſtquam admiſſa fuerint, ſine *Congregatione generali per eum diſſolvi poterunt.*

IV. Dicant nunc, qui nos laſe Academicæ Maieſtatis reos agunt, quod contra iſtarum Academiaſ iudicia exceperimus, ubi Societatis res agebatur, & cauſa; dicant, inquam, num forte privilegium aliquod Societatis datum obtendant, ut in ſua ipſius cauſa iudicium ferat, modo nominata, ac titulos mutet, & ſententiam pronunciet inſulata? Septem enim Academiaſ, Græcenſem, Muſſipontanam, Dillinganam, Moguntinam, Trevirenſem, Herſipolenſem, & Ingolſtadienſem, nil, niſi Societatem inſulataſ, novoque titulo auctam, novit Orbis; Viennenſem haud aliquid multo majus. Nec pluriſ earum de Divinis Audiis lata iudicia facienda, putant, quotquot res digne aſſumant, quam ii in ea; que nunc de Cultu Sinenſium Rome ferret, graviffima controverſia, Pariſienſe Jeſuitarum Collegium ſententiam diceret, licentique Societati adjudicaret.

V. Quid porro, ſi publica iſtrumenta, queſ expreſſa ſententia eſt, vocemus in cenſum? Societatis Senatores pene omnes inveni licet domeſtica cauſa iudicium ſibi arrogantes; & quidem, quod ſativum magis, ac lepidum, tacita ubique in ſingulis Profeſſione Jeſuitica, ut padori conſulerent, & oſtentato Academicæ titulo, ut imprudentibus ora ſublinirent, & Romanos magni nominis umbra terrefacerent. Id ego leviter ſubinnueam, ac vix Lectori intelligendum dederam, cum ſubſcriptiones quarundam Academiaſ, privata Societatis induſtria, extortas, ſignificarem. Verum, quandoquidem provocor, atque ubi maxime ſtilum ad modeltiam flexi, auctadæ incurſor; rem rotam ob oculos ponam, & occultæ machinationis vela reducam; ut hinc omnes intelligant, que ſit Academicis iudiciis fides, que vis, que potetas, ubi larvati Senatores domeſtica cauſa iudicium aſſectant, ne, ſi detracta larva pronunciant, a cæteris exhiberentur.

VI. Enimvero Academicæ Græcenſis iudicio, quo Scriptum a decem Jeſuitis anno 1599. elaboratum, comprobatur, ubi Molinaſ doctrina, multo obducta ſuco, uti Fidei Catholicæ teſtera, vulgabatur, Thomiſtica vero, atro ſignata lapillo, uti Calviniana, traducebatur, ſubſcribunt

Cenſores Theologi, numero quatuor, in hunc modum:

Paulus Henricus, Sacra Theologie Doct̄or, & Profeſſor, & Rector.

Joannes Klein, Sacra Theologie Doct̄or, & Profeſſor, & hoc tempore Decanus.

Michael Pollet, Doct̄or Sacra Theologie.

Joannes Gerotus, Sacra Theologie Profeſſor.

Omnes illi Jeſuiticæ Profeſſionis titulum de induſtria ſilent, ut illudant: tamen illos omnes Societatis viros eſſe, necesse ſit, a quibus duntaxat in Academia Græcenſi Rectoris, & Profeſſorum munia obiri poſſunt.

VII. Eadem calliditate ſe mununt Muſſipontanæ Academicæ Theologi octo, qui eadem tranſmiſſo ſcripto calculos addunt, hoc ordine:

Joannes Michaelis, Rector Academicæ.

Chriſtophorus Bruffardus, Cancellarius.

Joannes Weleſus Doct̄or.

Balthaſar Chavaffius, Doct̄or.

Joannes Caſtellarius, Theologie Profeſſor. *

Joannes Bonetus, Theologie Profeſſor.

Leonardus Perinus, Theologie Profeſſor.

Philippus Meyneus, Theologie Profeſſor.

Horum nullus Jeſuitam inſcribit. ſunt at-tamen omnes. Etenim de Rectoris, Cancellario, necnon quatuor Theologie Profeſſoribus dubium nullum; cum ex ipſis iſtituta Academicæ legibus, ſoli ad ea munia Societatis viri aſſumi poſſint. Nil quæſ de Balthaſare Chavaffio dubitandum, quem una cum Perino, & Moncæo, Societatis ſcriptoribus, adnumerat Philippus Allegambe in Bibliotheca. Unus forſan Joannes Weleſus moveret dubium, quem nulla mihi documenta Jeſuitam probant. At quis aliena profeſſionis hominem domeſticis Cenſoribus permixtum, facile credat?

VIII. Non abſimilem æmulantur aſtutiam Dillinganæ Academicæ Cenſores, & ſtudioſa Religioſæ profeſſionis diſſimulatione incautus illudant. Ita quippe ſubſcribunt:

Matthias Maibeſer, Rector Academicæ.

Julius Priſciannenſis, Cancellarius.

Joannes Pelcyus, Profeſſor.

Petrus Bacherus, Theologie Profeſſor.

Georgius Thedenus, Theologie Profeſſor.

Joannes Saller, Theologie Profeſſor.

Rectorem, Cancellarium, necnon etiam quatuor Theologie Profeſſores, Societatis viros eſſe, ex Academicæ, quam totam, & integram Societati datam, nemo neſcit, legibus conſtat. Quid etiam, quod Matthiam Maibeſerium, Julium Priſciannenſem, Joannem Pelcyum, Joannem Sallerium, ſuos inter ſcriptores recenter Allegambius, a me paulo ante laudatus.

IX. Sub larva quoque deliteſcunt, & Jeſuiticum nomen ſilent Moguntinæ Academicæ Theologi pene omnes, ne cæteris ſtomachum moveant, dum de lite, in Societatem intentata, ſententiam ferunt. Sic illi edito iudicio nomen inſcribunt:

Stephanus Ueberus, Epiſcopus Myſſenſis, Suffraganeus Moguntinus, Sacra Theologie Doct̄or, & Facultatis ejuſdem pro tempore Decanus.

Joannes Buſeus, Sacra Theologie Doct̄or, & Profeſſor Ordinarius.

Chriſtianus Agricola, DD. Petri, & Pauli Collegiarum Eccleſie Moguntinæ Prepoſitus, & Decanus ſigillifer Reverendiſſimi.

Joannes Muſulinus, Sacra Theologie Profeſſor Ordinarius.

Franciſcus Rapedius, Sacra Theologie Doct̄or.

Geor-

Georgius Bademus, Theologie Doct̄or, & Studi-orum Profeſſor.

Thomas Maſonius, Sacra Theologie Doct̄or, & Profeſſor Ordinarius.

Albertus de Puteo, Sacra Theologie Doct̄or, & Edis Divi Albani extra muros Moguntinus Vicarius.

Petrus Windus, Sacra Theologie Profeſſor Ordinarius.

Nicolaus Serrarius, Sacra Theologie Doct̄or, & Profeſſor Ordinarius.

Septem illic Societatis Aſtores in ſcenam veniunt, qui, depoſita Sodalitii veſte, Thomiſtica ſcholaſ doctrinam ludunt. Tribus larvam detrahit Philippus Allegambe (quos, uti Societatis viros, exhibit in Bibliotheca) nimirum Joanni Buſæo, Joanni Muſulinio, & Nicolao Serrario.

Tres alios Paulus Leonardus in Scientiæ Mediæ deſenſione, pag. 36. & 47. in lucem edit, Franciſcum Rapedum, Thomam Maſonium, Petrum Windum. Studiorum præfectura Jeſuitarum Collegiis propria Georgium Bademum ſatis pro-dit.

X. Trevirenſium iudicio, quo tranſmiſſam eandem ſcriptionem comprobantur, confedere viri e Societate numero quatuor; tamen de induſtria nullam inter ſubſcribendum mentionem faciunt, quo facilis imprudentibus ora ſubliniant. Chi-rographum apponunt hac forma, & ordine: Ego Joannes Macherentius, Sacra Theologie Doct̄or, & pro tempore, Facultatis Theologie Decanus, ſubſcripſi.

Similiter & ego Ambroſius Carolus, Sacra Theologie Doct̄or, & Profeſſor Ordinarius, & Prefectus Studiorum.

Idem & ego ſenio Hadrianus Vanden Bruele, Sacra Theologie Doct̄or, ad Sanctum Simonem Canonicus, Cathedralis Eccleſie Trevirenſis Rector, & pro tempore Univerſitatis Trevirenſis Rector.

Item & ego Jacobus Fiſcherus, Sacra Theologie Doct̄or, Canonicus, & Cantor Sanctæ Mariæ Ratiſolienſis.

Similiter & ego Petrus Roſſembam, Collegii Rector.

Similiter & ego Conradus Hungerus, Sacra Theologie Profeſſor.

Ex his Macherentius ſum inter Societatis ſcriptores in Bibliotheca locum obtinet. Ambroſium Carolum, & Conradum Hungerum Jeſuitas probat publica Theologie profeſſio, uni Societati aſſerta in Academia Trevirenſi. Petrus Roſſembam Collegii Rector plus ſatis ex titulo noſcitur.

XI. Succedunt Wirceburgenſis, ſeu Herſipolenſis, Academicæ Cenſores, qui ſcripto tranſmiſſo approbationis calculum addidere, ſub hac forma:

Eucharis, Sacra Theologie Doct̄or, & Ordinarius Profeſſor, ac ejuſdem Facultatis pro tempore Decanus.

Petrus Thyreus, Sacra Theologie Doct̄or, & Profeſſor Ordinarius.

Martinus Becanus, Sacra Theologie Doct̄or, & Profeſſor Ordinarius.

Joannes Perotus.

Germanus Sandorpius, Studiorum Praefectus.

Uno excepto Eucharis, latent ſub larva Jeſuitæ Senatores, & de gravi ſupercilio in partem adverſam virgam exerunt.

XII. Veniunt in cenſum Ingolſtadienſis Academicæ Profeſſores, quibus ita ſubſcribere libuit: Petrus Stevartius, Academicæ Ingolſtadienſis Profeſſor Theologus, & pro tempore Rector.

Albertus Hungerus, ejuſdem Academicæ Profeſſor Theologus, & Pro-cancellarius.

Michael Eiſelin, Theologie Profeſſor, & hoc tempore Decanus.

Joannes Ripelius, Sacra Theologie Doct̄or, ejuſdemque in diſta Univerſitate Profeſſor.

Jacobus Grefſerus, Sacra Theologie Profeſſor.

Quot illic, tacita in Chi-rographis profeſſione, Jeſuitæ ſubſcribant, non ita facile deſinierim. E-quidem de Michaele Eiſelino, & Jacobo Grefſero dubium nullum, quos Societatis ſcriptoribus Allegambius adnumerat. Petrum Stevartium Societati fuiſſe addiſſimum, probat Apologia pro Societate Jeſu ab illo conſcripta, editaque Colonia anno 1594. At nec hunc, nec Hungerum Societati adſcriptos tunc temporis, ac poſtmodum fuiſſe, certiffimum eſt. De uno igitur Ripelio nihil, quod in medium aſferam, modo ſuppedit; nec multum intereſt. Hæc interim, donec alia ſuccurrant.

XIII. Claudit agmen Academia Viennenſis, cuius iudicio ita ſubſcriptum eſt: Joannes Pollinger, Sacra Theologie Doct̄or, & pro tempore Academia Viennenſis Rector.

Melchior Chelſt, Epiſcopatus Novæ Civitatis Adminiſtrator, nec non Academia Viennenſis Cancellarius.

Joannes Montanus Mollenſis, Sacra Theologie Doct̄or, ac ejuſdem in Academia Profeſſor, & pro tempore Facultatis Theologie Decanus.

Joannes Pampelius, Sacra Theologie Doct̄or, & Profeſſor primarius, Canonicus Viennenſis.

Balthaſar Sculterus, Sacra Theologie Doct̄or, Canonicus, Cuſtos Cathedralis Eccleſie, nec non Curia Epiſcopalis Viennenſis Officialis, & Vicarius Generalis.

Laurentius Bruyckeſus Bonſanus, Sacra Theologie Doct̄or, & ejuſdem Profeſſor in eadem Academia.

Hos inter, Joannem Montanum, & Laurentium Bruckejum Societatis Profeſſores habes; quod illi ſubſcribendum de induſtria ſilent, ne domeſtica cauſa iudicium aſſectare deprehendantur. De Joanne Pollingero dubium mihi.

XIV. Univerſis igitur in ſummam deductis Germanicarum Academiaſ Theologis quinqueaginta, qui tranſmiſſam Societatis ſcriptum communibus ſuffragiis comprobantur, quadraginta circiter numerare licet Societatis Profeſſores, qui cæteris pauculis immixti, de domeſtica lite pronunciant, ſibi ipſis cauſam adjudicant, partem adverſam Cenſuris inurunt: atque id quidem, diſſimulata in chi-rographis Jeſuitica profeſſione: adeo illos arrepti iudicii conſcientia mordebant: metus erat, ne palam a viris juris, & æqui amantibus exhiberentur, ſi detracta larva ſententiam pronunciaſſent.

Quis id bona fide factum obtendat; & Jeſuitæ titulum, a Viris tam multis conſtanter, atque inviolate in Chi-rographis prætermiſſum, eſſuriam, ſine arte, ſine dolo? An non verius id totum de induſtria machinatum, ut & pudori conſulerent, & lato iudicio auctoritatem conciliaſſent; quod ſine dubio flocci faciendum, noverant, ſi a viris, in cauſam venientibus, datum ex ipſis ſubſcriptionibus innotuiſſet.

Immiter igitur virgam exerceat Syndicus Trevirenſis, meque pro ingenta charitate mille concivici oneret, quod ea Germanicarum Academiaſ iudicia rejecerim, ſeu quod in iis Jeſuitæ (ut ajebam) dominarentur, ſeu quod privata illorum induſtria moverentur univerſa. Me mirius locutum, dicent æqui rerum æſtimatores; juſtamque exceptionem a me datam, fatebuntur, qui præcepta juris vel ipſis extremis labris attingunt.

XV. Neque vero mortalium primus eo nomine

* In Epistoſa Jeſuitarum Provinciaſ Franciæ ad PP. Clementem VIII. Data Parisiſ 3. Junii 1593. Subſcriptus habetur. Joannes Caſtellarius Secretarius.

ne adversus illas Academias excepti. Excepti a te me, datoque libello, exposulavit coram Clemente VIII. Universus Prædicatorum Ordo, anno 1600, quo primum tempore circumferri Roma cepit scriptum, a decem Jesuitis elaboratum, Germanicarum Academicarum suffragiis communitum; varisque Theſium latinæ, undeque congestæ, quibus Moliniana dogmata inscripta fuerant, a Sociis in cause patrocinium evulgata. Do libellum integrum, non eo consilio, ut Prædicatorum auctoritatem Germanicis Societatis Jesu Academicis opponam, (ne, quod in aliis damno, virtum admittam) sed ut intelligat Syndicus Trevirensis, facinus non esse, morte piam, quod ab universo Prædicatorum Ordine, sub ipsius Summi Pontificis oculis, ac probantibus etiam Romanis Censoribus, actum est:

BEATISSIME PATER,

(1) **F**ratres Prædicatores, nihil aliud unquam in suis Controversiis querentes, quam sinceram, Catholicamque veritatem circa Divina Gratiæ efficaciam, non tollentem, sed conservantem, perfectientem, atque roborantem humani arbitrii libertatem, etiam in Commentariis, quæ ad Summam Sancti Thomæ addiderunt, & in publicis Lectionibus, quas in Studiis generalibus, & multis Universitatibus habuerunt, & in Apologia, quam ad Mandatum Sancti Officii in Hispaniis ejusdem Sancti Officii Præsidentibus obtulerunt, & denique in scriptis, quæ (dum hujuscemodi, ex præcepto Sanctitatis Vestræ, in Urbe tractantur) Illustrissimis Cardinalibus, & demum Vestræ Sanctitati dederunt; ita clare, & manifeste se arbitrantur ostendisse, quam in prædicta materia sententiam eandem penitus esse cum sententia SS. Augustini, & Thomæ, & cum definitionibus Conciliorum Arausicani, Milevitani, & Tridentini, ut nullis eis videatur vel dubitandi quidem superesse locus. Verum non aliunde id ipsum omnino efficiendum, existimant, quam ex ipsorum Conciliorum sanctionibus, & nominatorum Patrum verbis manifestissimis.

Et quamvis id præstantes pro rei veritate, & Illustrissimis Cardinalibus, & Sanctitatis Vestræ pietati satis se fecisse, existimassent. quam tamen communiter sententia hæc in Ecclesia recepta sit, & approbata, & plurimorum Sanctorum Patrum, & antiquorum Scholasticorum, quorum auctoritas apud pios, doctos, & Catholicos semper prævaluit, verbis clarissimis demonstrant. Quam sane antiquam veritatem, ac proinde tutissimam, diebus istis omnino amplectuntur Salmanticensis Academia, inter omnes Hispaniæ primaria, & Lovaniensis florentissima, & plurimi Antistites, pietate, & doctrina insigniores, aliique celeberrimi Doctores; quorum subscriptiones in Hispania Officium pridem habuit, & magnificet: quæ omnia ad pedes suos Sanctitas Vestra transmissa vidit. (2) Quid vero aliæ inferioris nota

Academice in Germania, Austria, & cæteræ, quæ in Scripto recensentur, fortasse senserint, aut sentiant, neminem movere debet. Noverit enim, Sanctitas Vestra, RR. istos Patres memoratis Academicis ita præesse, ut merito dici possit, nihil fere aliud Academicas illas fibi velle, quam eorundem Patrum ipsissima Collegia.

Probabilitatem, quam unam Patres Societa-

tis studio habuisse semper visi sunt, minime curaverunt: quippe qui nunquam de probabilitate, sed de veritate, & firmitate doctrinæ egerint, ac proinde veræ doctrinæ definitionem a Sanctitate Vestra supplices semper rogarint, ac rogent: negotii hujus protractionem, ac uriusque partis de hac sententia libertatem, quam Patres Societatis modis omnibus querunt, æquo animo ferre non valentes, tanquam videlicet rem maxime perniciosam.

Et quidem FF. Prædicatores audierunt, aliarum Religionum Juvenes, circa hanc materiam disputantes, ingenia exercentes, & forte plus æquo audentes, chartulas impressas, parietibus, & Ecclesiarum valvis affixas, in quibus disputanda erant digestæ Theses, confecerunt: sed uti illorum ausus neglexerunt, ita has colligere, ut inde argumentum aliquod haberent, rem omnino ridiculam arbitrari sunt. Neque enim FF. ipsi Prædicatoribus hæc, & multa id genus defuisse, si ullius unquam momenti existimassent.

Neque valde curandum est, quod Juvenes illi, sub quorundam Virorum insignium auspiciis, Conclusiones illas susceperint disputandas: quandoquidem, vel qui disputationibus illis præfuerunt, non eandem, quam discipuli, amplectebantur sententiam, sed ingenii eorundem Juvenum exercendi gratia in re, quæ adhuc sub iudice posita videbatur, & in utramque partem disputationi permixta, illis id concesserunt, vel ut opposita sententia apud minus eruditos saltem-probabilis fieret, hæc ab iis, quorum multos forte auditores olim habuerant, pro sua industria aliqui exegerunt. Quod si doctioribus illis, in hujuscemodi discipulorum congressibus, cum FF. Prædicatoribus, in locis, quæ in scripto notantur, agendum fuit, qualem victoriam reportaverint, testes sunt, qui adfuerunt.

XVI. Dixi, Romanos Censores Fratrum Prædicatorum contra Germanicæ Academicas exceptionem approbasse: nec temere. Clarissimus quippe Bossuetus, Cogitatorum unus, cui post annos aliquot (3) Paulus V. Scripsi, ab decem Jesuitis elaborari, examen demandavit, eas Academicarum subscriptiones iudicio Censorio dispungens, id statim initio ponit: *Patrum Societatis, qui numerantur inter alios subscribentes, suspecta sunt testimonia, quæ de se ipsis perhibent in actione, contra illos intentata.* Et multis interjectis, de Academia Mutipontana differens: *Cerrum est, inquit, non esse, nisi in manu Patrum Societatis. Ex his autem videmus, illos nimis dilatare philibetia sua, & sibi magis quærere: dum scilicet illarum Academicarum suffragia ostentabant.* Sed de Bossueti suffragio Censorio in additis ad Historiam plura dedimus.

CAPUT III.

Nonnullis Germanicæ Academicis obscuritas nominis circa invidiam objecta, Belgicarum præsertim comparatione.

I. **N**ihil æque in nostra Congregationum Historia Syndico Trevirensi stomachum movit, quam objecta suæ, aliisque nonnullis Germanicæ Academicis obscuritas nominis. Quare, ut claritudinem suis vindicet, Herculis cothurnum induit. Nonnullos velut nobilitatis viros imitatur, qui a pristina Majorum gloria devoluti, pannoſi, lacerti, atque ad incitas redacti, genus

jaçant, & inutile nomen; chartas, situ putres, excutiunt, fumosas Majorum imagines ostentant, milleſimum ab Atavis ramum ducunt; interea tamen despecti, atque invisii ritu populum quantiunt. Trevirensis scilicet Academia dignitatem ab antiquitate commendat, Imperatorum privilegia memorat, viros illustres, quos prima tuit ætas, in censum vocat. *Nam, quod obscuritatem nominis objicit, inquit ille, in clarissima luce cæcurare se, probat, quam Flavius Crispus, Constantini Magni filius, quam Gratianus, & Valentinianus secundus, Imperatores suis studiis, datisque privilegiis; quam Laſtantius Firmianus, Crispi Magister, Eumenius Aduus, Claudius Mamertinus, clarissimi Rhetores, sua eloquentia; quam Medici, Poetæ immemeri, sua eruditione; quam Theologi, interque hos, qui multorum instar esse possent, Dionysius Hieronymus, prob quales, quantique viri! sua sapientia, doctrina, sanctitate, vetustissima huic Academicæ dederunt.* Sed quid tandem? Academicam suam, sub honore veritatis nobilitatis hodie laborantem, statim prodit lepidus Encomiastes; nil nisi pristinae gloriæ cadaver agnoscit; utque, quod in præsentia laudet, inveniat, ruinarum nobilitatem comminiscitur. *Non is fateror, subjungit e vestigio, hodie-dum illi splendor est, qui olim fuit, dum hæc Urbs Romanorum Imperatorum sedes esset. Verum damnosa quid non minuit dies! Communem rerum mortalium sortem experti sumus. Non tamen, ne post tot bellorum calamitates quidem eo prolapsi, ut obscuritatem nominis Laverno esse nobis exprobrare queat. Magnarum quippe rerum etiam illustres ruinae sunt.* Ita Syndicus, Præfatis imitatus, quæ Majores tantum, se ipsis laudare non possunt.

Bene igitur est, bene prorsus: habemus hic fatentem actorem; nec aliud volumus & nos, quam quod is ultro concedit. Quam enim Germanicæ Academicis nominis obscuritatem objecimus, non aliam intelleximus, quam quæ lapsu temporis consecuta est; quæque in re litteraria spectatur maxime, & ad deprimentem lata judicicia, de quibus quaestio vertebatur, maxime conducebat: obscuritatem, inquam, ab exiguo Doctorum numero petitam, ab experientiorum, quæ eruditio tentatur, levitate, a præcipiti Magistrorum inauguratione, a remisso studiosiorum fervore, ab imminuta Auditorum frequentia; aliisque id genus, quibus obscuratur Academicæ, tametsi annum a positæ fundamentis milleſimum numerent.

Academicarum claritudinem, dignitatem, ac nomen, non a Conditioribus, aut Atavis, non ab annis, aut privilegiis, sed a discipline severitate, Doctorum eruditione, ac numero, frequentia discipulorum, studiosiorum fervore petendam, Ecclesia docet; quæ quoties in Pontificiis Diplomatis, aut Conciliorum statutis, famosiore Orbis Academicæ percescit, Parisensem, Salmanticam, Lovaniensem, Oxoniensem, Bononiensem &c. primo loco ponit; tametsi aut omnes, aut certe illarum aliquæ a multis inferioris ordinis Academicis, vetustate, & Conditiorum dignitate vincantur.

II. Sux igitur Academicæ tabulas excutiatur Syndicus Trevirensis; natales a prima Christiani nominis ætate repetat; Hieronymum ejusdem Magistris adnumeret; addat, si lubet, Athanasium, eique, dum Trevisis ævum ageret, Doctoris lauream datam, effutiat; ventis illum pacisci, haud ægre feremus. At nihil interim, nisi pristinae claritudinis fugitivam memoriam, ostentabit; nullamque Censuræ, cadente sæculo decimo sexto expeditis (quo tempore Academicam suam antiqua claritudine devolutam agnoscit) auctoritatem

Serry Tom. II.

conciabit. Cum contra Belgicæ Academicæ, quarum comparatione, Germanicæ obscuri nominis diximus, non longa Majorum ferie tumentes, proxima originis claritudinem tum maxime retinerent, dum suas in Lessium, & Hamelium Censuras expederunt; partaque non ita pridem doctrinæ fama cæteras vinceret, quas sub honore vetustæ nobilitatis laborantes, non tam laudat, quam illarum illustres, ut fateatur, ruinas luget Advocatus imprudens.

Non esset itaque, cur tabulæ manum secundo admoveremus, ut, qualis a nobis objecta est, obscuritas nominis demonstraretur. Obscuritas, inquam, non avita, sed præterita, non primigenia, sed lapsu temporis consecuta: quandoquidem hæc ipsam ne diffiteri quidem Metzensis ausus est. Immo quas nos, Belgicarum duntaxat comparatione, obscuri nominis Academicas dixeramus, is, nulla comparatione instituta, parietinis, splendore vacuas, nuncupavit. Verum, ne quis, nos Actoris confessione nimium abusus, existimet, ut probandæ accusationis onere exsolveremur; de Germanicarum Academicarum fortuna, quæ decimo sexto vertente sæculo jaçte fuerant, dicemus paulo distinctius, ut nos in Historia mitius locutos, nemo non videat.

III. Abiit, ut Germanicæ pudorem onerare velim: at peregrinum illum in veteri memoria esse, oportet, qui nesciat, quæ tropica Hæresis Lutherana instituerat, ubi primum vastissimum Imperii partes occupavit. Sacrarum litterarum cultores, aulis submoti, consiliis ejecti, Urbibus exterminati, neglecta studia, despecta, contempta; Academicæ aut erroribus infectæ, aut orbate Magistris, aut discipulis vacuæ, aut occupatis reditibus, & latifundiis, ad extrema redactæ; ut folio ferme titulo obliteratæ dignitatem fugitivam umbram retinerent. Synodi Trevirensis Oratorem audire præstat, damna Patriæ, litterarum excidium, scholarum jaçturam facunde exsequentem publica oratione, ad Patres habita, anno 1549. *Quantis, Jesu bone, tenebris, quanta caligine obruta, & obducta videmus propinodum universa? Quis non deplorat Studiorum puritatem, a multis jam inde annis nequam neglectam, etiam contaminatam, labefactam, condensatisque tenebris obumbratam? Artes, Philosophiam, Divinaque litteras, non satis pro dignitate tractatas, quæ rectius tractate multum profecto attulissent nominis, plus religioſe, minimeque fucate pietatis? Quid distimulamus? Quis, quod omnium verissimum fatemur?*

An non, collapsis, ac probe extinctis scholis, magnum vulnus accepit Christiana Respublica? Verum esse, quod dico, ipsa res clamat, & rerum eventus confirmat. Nusquam fere non desiderantur Artium, honoratorumque Facultatum Professores; in Republica quidem experti Medici, prudentes Juris-consulti, in Cathedra, & publico suggestu eximii, & candidæ Doctrinæ Theologi, in Templis Pastores, in scholis probe instructi, & eruditi Praeceptores. Unde quaeso neglectæ sunt scholæ, a quibus complures annos exularunt cum liberalia studia, tum vero sanctissima illa, amplissimaque Divinarum litterarum disciplina? Recepta est in scholas, & ali-quandis obtinuit spinosa, sentioſa, frigida, jejuna, ac nimis infelix illa tum Philosophiæ, tum Theologiæ tractatio; eis nimirum in utramque autem dormientibus, atque interstentibus, quorum invigilare, atque inspicere steterat &c.

Quis id legat, ac non statim intelligat, Germanicæ Academicas, atque inter illas maxime Trevirenses, pristina claritudine devolutas, sæculo decimo sexto, ignorantæ, longa nocte obscuritatem nominis subissis? Nec idcirco viro historico, illius ævi res exsequenti, vitio dandum, quod

(1) Extat in Biblioth. Angel. in Miscellan. Num. 18. (2) Nota. (3) An. 1600.

quod ea, iusta defensionis necessitate victus, leviter observavit. Immo quis illum mitius locutum non fateatur, qui quod Germanus Orator, in sacro Genris suae confesso, longa pompa, & mordaci sermone exsecutus est, uno verbo, coque ad modestiam composito, subinducit?

Miseram Germanicæ Academicarum catastrophem, scholas pestifera lue infectas, extinctam studiorum disciplinam, neglectas litteras, æque produnt Concilii Moguntini statuta, sub Sebastiano Archiepiscopo lata, anno 1549, e quibus pauca hæc delibabo, ex Capite 65. quod est de generalibus studiis instaurandis, & conservandis, unde cætera discere liceat. Prudentes homines facile perspiciunt, & boni, ac pii jam-diu queruntur interitum studiorum, que in hac misera perturbatione rerum, saltem in locis Catholicis, propemodum in universum perierunt; in primis Ecclesiastici status extirpationem, adeoque sacro-sanctæ Religionis, ac totius Reipublice Christiane ruinam secururam esse. . . . Hinc Comprovinciales nostros in Domina exhortamur, & serio commoneamus, eisque pro Auctoritate nostra Metropolitanæ innoxiamus, ut omni cura, ope, & industria, ubique per universam Provinciam nostram studia præcipue generalia instaurare, promovere, & conservare satagent; & hanc Religionem, & publicæ tranquillitatis perniciosa necessitatem parentibus adiuvant, qui aliqui sanctæ Religionis bene affecti, tamen ex neglectu studiorum in locis Catholicis, compelluntur filios suos ad alias Universitates, & scholas ablegare, ubi una cum litteris noxias de Religione opiniones hauriunt; quibus infecti, & perverti, donum redeunt, ipsos plerumque parentes, ac totam sepe viciniam pestilentibus opinionibus imbunt, & severitatem fidei Christiane in eis corrumpunt. Quæ omnia plus satis ostendunt, collapsas ea ætate Moguntia, aliisque Catholicis Germaniæ locis, publicas scholas; vixque ullas Academiæ substituisse, veneno liberat, ac pravis de Religione opinionibus non imbutas. Hinc Synodus Colonienfis, hoc ipso anno 1549, celebrata, sub Adolpho Archiepiscopo, præcipuam, maximamque Decretorum partem posuit in studiis instaurandis, quod ea potissimum parte laboraret.

IV. Immenfus sim, si superioris ævi Scriptores, qui de rebus Germanicis, deque primis hæresibus Lutheranae initiis sermonem habent, ad examina vocare velim; quorum una vox est, a Jacobo Middendorpio, (1) vice omnium, expressa, Lutheranos, & Calvinistas in eam curam incubuisse, ut bonas litteras una cum ipsis Academiis everterent. Sat erit illorum Consilia, artes, circuitus versipelles, in depravandis Academiis, ex Nicolao Sandero percipere, Lib. 2. de Schismate Anglicano. Quamquam enim is, ex scripto innotuit instituta, strages, Angliæ importatas, potissimum exsequatur, easdem tamen in Germania primum adhibitas, monet; immo, illic nefarios Academicarum corruptores adscitos, inquit, ut quod domi cõperant, in Angliam consummarent. Hæreticorum, qui rem Anglicanam eo tempore mmi-strabant, proxima, post Regis infectionem, de Academiis corruptendis cura erat; ut illis Religionis, & disciplinarum fontibus infectis, facilis in Universam Rempublicam manaret lues; & in illa gente præ cateris multis referre solet, in utramque partem plurimum quoad Universitates sint affectæ. . . . In primis igitur Regia auctoritate, & nomine instituta est Universitas, Collegiorumque visitatio; in qua priorum fundatorum sanctissima ad religionis studium, ac discipline observantiam facta decreta Visitatores illi abrogant; eorumque loca novas leges,

ad sectam suam, & ad juvenilem licentiam accommodatas, condunt; Catholicis Doctoribus, & Ecclesiasticis Cathedralis, ac pulpitis auferunt; eaque perulantis lingue, & blasphemis oris juvenibus distribuunt, Gymnasiorum Moderatoros, variis confectis calumniis oneratos, vel aperiæ de Fide Orthodoxa accusatos, numeribus suis privant, & pestilentissimos Hæreticos, qui juvenitatem fide, & moribus corrumpant, eorum locis substituant. Hæc illos, ubi vis auctoritatem obtinebant, molitos esse, nil dubium; quippe qui sectæ principis dicebantur, Academiæ Anticristi lupanaria, (2) stulte arbitrati.

Verum, quid in iis congerendis ludimus operam? Quandoquidem utque adæm contemptum est, pleraque Germanicæ Academiæ Hæreticorum fraudibus, injuriis, expliationibus, a primæ dignitate excidisse, ut ob id unum, vertente sæculo decimo sexto, in disciplinam Societati tradita fuerint, ut vel hoc pacto erigerentur? Sic Joannem, Archiepiscopum Trevirensis, ad Societatis homines curam applicuisse, scribit Franciscus Sacchinus in sua Societatis Historia, (3) ut Academiæ, olim celeberrimæ, jam funditus collapsam, restitueret. Sic Principem Fridericum, Societatis Patres in Academiæ Herbipolensem evocasse, monet Middendorpius Lib. 5. Quod Religio, & Litteræ una sepe interissent. Sic Albertum Principem viginti Societatis Professoros ab Ignatio per litteras postulasæ, refert Orlandinus lib. 16. Histor. Ut Ingolstadiensem Academiam, valde collapsam, restitueret. Sic duos Societatis Professores in Academiæ Viennensem a Ferdinando I. adscitos, ait Sacchinus, jam ante laudatos, Lib. 2. Quod plerique Doctorum essent dubie fidei.

V. Videndum igitur in presentia, num quæ a prima claritudine decidantur Academiæ, dum, vertente sæculo decimo sexto, Societati in disciplinam datæ sunt, ut ejus cura referantur, novorum Moderatorum ope e tenebris tandem emergerint, pristinum splendorem acceperint; ut, absque verbi invidia, obscuritas nominis a nupero Congregationum Historicorum iisdem objici non poterit.

Non emeruisse fidenter pronuncio; aut certe non ita caput exeruisse, ut florenti Studiorum disciplina, Doctorum numero, experimentorum difficultate, auditorum frequentia, inter celebres Europæ Academiæ conferrentur; immo potius ita deinceps sub novis Moderatoribus pessum ivisse, studiorumque disciplinam laxasse, ut severam celebriorum Ordinum animadversionem subierint. Rem dico, invidiæ plenam, dico tamen, quia provocor: hincque omnes intelligent, nihil a me confictum, nihil in maius actum; immo non pauca silentio prætermisissæ.

VI. Exigua certe, atque infimi ordinis Academiæ, si Doctorum, ac Professorum numerum spectes, evincunt publica Instrumenta, superiori capite dispanctæ, ubi totum plerumque Theologicum Ordinem, quatuor, aut quinque Magistris itetisse, palam est; iisque sæpe septus folius Societatis Professoribus. Quæ de causa Jacobus Bosfurius, Congregationum de Auxiliis Censor æquissimus, in Judicio Censorio, superiori Capite laudato, Academiæ illas naucificat, eisque Universitatis nomen ægre dedit. Hoc saltem dico, me accepisse, Patres Societatis in illis parvibus aliquorum Collegiorum devotissimum suscepisse patrocinium, & illa cobonestate nomine Universitatis, constitutis paucis Professoribus, sive ex sua Societate, sive ex suis discipulis. Et paulo supra, in summam deductis octo Universitatum Magistris, qui memoratis

ratis Instrumentis nomen adscripserunt: Hi omnes juncti, inquit, ex octo Universitatibus, faciunt tantum quinquaginta suffragia. Hic autem numerus plusquam mediâ parte minor est numero Magistrorum Theologicæ unius Facultatis Parisiensis.

VII. Lapsam penitus, atque everfam in iisdem Germanicis Academiis studiorum disciplinam, graduamque conferendorum facilitatem inauditam fugillavit, non sine ludibrio, Academia Parisiensis, cæterarum toto Orbe caput; ac princeps, anno 1643. gallico scripto, cui titulum fecit: Traité pour la défense de l'Université de Paris contre les Jésuites: hoc est, Traité des Apologues de l'Université Parisiensis contra Jesuitas: maxime vero Tractatu 1. Cap. 2. Num. 3. ubi, præmissa distinctione Academicarum in famosas, ita in Jesuitas Parisiensis stilum acuit, qui Academia jura præsumebant: Le Concordat, & la Pragmatique sanction ont défendu de donner aucuns degrés, qu'à ceux, qui auroient achevé leur tems d'étude in Université fameuse. Or qui ne voit, que la discipline est entièrement ruinée, si les Jésuites obtiennent nos privilèges? Il faut être bien égaré dans les affaires des autres Universités, pour ne pas savoir, qu'il n'y a plus de discipline dans tous les lieux, où ils ont été admis. Les Docteurs s'y forment tout en un jour: & ces fruits barés sont vains, qu'ils ont trouvé l'art de produire des poisons, dans les arts, & dans les sciences. Ce long, & pénible chemin des Lettres, qui décourage les lâches, & les timides, ne doit plus être une obstacle, depuis qu'ils l'ont racourci. La délicatesse est devenue compatible avec la doctrine; & ce qui s'achetait autrefois avec des sueurs importunes, s'acquiert par le seul respect, que l'on porte a cette merveilleuse Société. Quod ita latine dicas, Per Concordata, & Pragmaticam sanctionem, cautum est, ne iis gradus conferantur, qui studia non consummarint in Universitate famosa. Jam quis non videat, disciplinam illam eversum iri, si Jesuitæ in privilegiorum nostrorum possessionem veniant? Peregrinum illum in aliarum Academicarum Historiam esse, oportet, qui neficiat, collapsam penitus disciplinam in scholis omnibus, in quas demum admitti sunt. Doctoribus illic uno die fabricantur: præcoquesque inaurationum fructus plus satis indicant, artem illos advenisse, qua in ipsis etiam disciplinis, ac litteris fungos edant. Longum illud aspectum sentiantur iter, quo seges, atque incertes deterrentur, nullis jam impedimento erit, quo ex tempore ab iis contractum est. Molities cum litteris in gratiam rediit; quodque olim nonnisi molesto sudore obtinebatur, sola nunc in mirificam Societatem veneratione impetratur.

Germanicæ Academiæ a Theologis Parisiensibus fuggillari, nemo non videt, quos videlicet Jesuitæ moderantur, ubi gradus dispensant, omnia nutu, atque imperio regunt: nullas enim hujusmodi Gallia patitur. Aut certe cum una, eademque virga feriant Academiæ omnes, Societatis curæ commissas; illicque collapsam disciplinam, Doctores uno die fabricant; & fungorum instar in lucem editos irideant; non est, cur se communi Censura perfrictos, Germani diffiteantur. Si quid tamen subesset dubii, quod sequitur, amovebit.

VIII. Præverant Parisiensibus Lovanienses, nusquam mihi sine laudis præstatione nominandi. Quas enim illi tacito nomine scholas fuggillarunt anno 1619. publico Instrumento, quo jura Academia adversus Societatis præsumptionem tuebantur, sub hoc titulo: Rationes Universitatis Serry Tom. II.

anno 1619. ob quas, etiam ex consideratione status Societatis, concedendum non videtur, ut lectiones ejus Theologie valeant in ordine ad gradus. Rem potissimum exsequantur celeberrimi Theologi Titulo 2. Num. 2. ubi plurima incommoda percentent, ex hujusmodi concessione oritura, Facultatum Academia Collegia vigorem, floremque suum perennasse Universitatum, quæ adhuc extant, exempla testantur. Cum enim præclarissimis et toto mundo ingenis ad ea semper aditus pateat, non possunt in eis ingenia defecere, quæ prædecessorum doctrinam simul contentionem perennent. L. Societatis Collegii quantilla haberi potest experientia, nihil perinde de stabile promittit. Notarunt multi immutatam ex nunc scholarum Societatis faciem, quoad ad disciplinam severitatem, quoad docendi methodum. Germanicæ Universitates, quas Societas suo hoc novo modo regendas suscepit, TREVIRENSIS, MOGUNTINA, MUSSIPONTANA, &c. vigorem non intendunt, sed remittunt.

Audiat hæc Syndicus Trevirensis; nec mihi jam vitio vertat, quod Academiæ ejus, & Moguntinæ obscuri nominis dixerim; quas studiorum disciplinam laxasse, Theologi Lovanienses distincte testantur. Ex lapsa etenim disciplina, obscuritatem nominis subeunt Academicæ; quævis tandem ex prima origine, fingantur esse. Sint illæ a Flavio Crispo, Constantiano Magni filio institutæ; a Gratiano, & Valentiniano privilegiis auctæ; ab Hieronymis, & Athanasio quondam alias frequentatæ; inutile nomen jactant, nisi disciplinæ severitate, studiorum cultu, primævam claritudinem retineant.

IX. Haud aliter sensit Academia Cracoviensis, Poloniæ schola princeps anno 1627. Nullum susceptæ ab Jesuitis quarundam Academicarum curæ fructum existisse, significavit: quia potius eorum fecisse, addidit, dum suis illis, quas adhibebant, defertis Academiis pollicerentur, studiorum utilitatem, & claritudinem, frequentiam discipulorum, majorem Dei gloriam, ex sua ipsorum administratione accessuram: cum secus omnia cesserint, & scholas ipsas devastarint. Hinc illa censensus aperuit, data ad Academiam Lovaniensem epistola, die 29. Julii, anno 1627. quo tempore iisdem illustrandæ Academiæ Cracoviensis pollicitationibus multos alerent, aliaque multa molirentur, ut pedem in ea figerent. Anni sunt (scribebat Academia) plus septem, ut primum rufioribus, deinceps cuniculis a Jesuitis cõpium agi, ut vestigium aliquod suæ disciplinæ Cracoviæ figerent. Species concordiæ, & conciationis primum Aulis Principum inferri, deinde in vulgus spargi utilitas, Academiæ nostræ gloria, frequentia discipulorum demonstrari; tandem major Dei honor (prout illis mos est, ubique res humanas occupando, cõlum jactare) inde promanaturus, crepari. Omnia exterarum Academicarum exemplis demonstrari; defertis illis scilicet, cum Jesuitis plaustra honorum, & incrementorum accessisse &c. . . . Nos vero quid ad hæc? Quamvis leviores tubarent, divinabamus, quod ex vestris litteris demum clarissime perspeximus; nulli scholæ hos fucos bene cessisse. . . . Et post multa: Ereditio illis apud nos adeo tenuis, ut quod de regno literario ab eis occupando metutis, nobis videatur, illos aliud quiddam querere, quam litteras, utpote quibus ad sapientiam triennium præscriptum est, ad acquirendas opes sæculum non sufficiat: & qui animi conatus in rem litterariam convertendi essent, in occasionibus disponendis, redditibus ordinandis, vix

fatis sint, Mittamus interim aniles cum levi-
popello occupatiunculas, furros, illectamenta
mulierum, quibus, ut quisque illorum graphi-
ce locutulejus est, totas diei horas impendit:
isque eloquentiæ apud illos scopus, & termi-
nus. Mittamus consuetudines cum Aulicis, can-
pationes rumulorum, salutationes, ut, quan-
tation nobis ante formidabiles essent nomine lit-
terarum, tantum nunc contempti, & abjecti
jaceant, & brevi magis, atque magis tales fu-
erunt, scilicet, qui labori, & magnis, illis la-
boris, & sapientiæ Sacerdotibus, Academicis,
inquam, (suas illas scenicas, & plebejæ opi-
nionis varietate coloratas, scholulas erigendo)
semperternum bellum indixere. Non Aristoteles
apud illos, non Plato, non melioris nota Phi-
lophus, scriptorve teritur, sed Dictionaria,
Adnotationum, ante triginta annos, conferti
recentibus ineptiis, Centones, putida Epigram-
mata, & quicquid ad instar alicujus pinguis,
& indoctæ Minervæ fieri potest. Itaque ma-
gnam partem discipulorum ejus scholæ pœnitu-
do jure meritissimo subit, dedisse operam ejus-
modi Magistris, quorum plurimi, ad nos re-
cedentes, deposito fastu, & inanis Jesuiticus,
ab unguiculis se formari, permittunt, & expe-
runt. Quod si huic morbo medicinam non faciant
viri Principes; si vos celebres Academicæ,
quarum illi exterminium (quia illis dignitate
oculos effoditis) querunt, ad salutem commu-
nem operas non conferitis; brevi omnis littera-
tura melior, dicendi vis poltior, potior Phi-
lophæ, & quicquid magis nobile apud nos,
id est, omnis antiquæ sapientiæ dignitas abole-
bitur, immo ipsa litterarum vita extingue-
tur, in eamque barbariem relabemur, in qua
fuimus, cum &c. " Nec unius Academicæ hæc
erat de Jesuitarum scholis opinio: Superiori enim
anno (1626.) in publicis Regni Comitibus hoc
decretum conditum est: *Jesuitæ scholam suam in
Urbe Cracoviae claudant, & Academicæ illius loci
in posterum molesti esse desinant.* Cujus decreti
condendi hanc rationem plurimæ Provincia, dum
suffragium ferrent, protulerunt: *Majorum nostrorum
tempore una tantum Cracoviae fuit Academicæ.
Ex ea Viri sapientes, prudentes, honesti, & cordati
proderunt; hodie vero multa habentur Collegia
(Jam tunc erant Jesuitarum quadraginta quinque
Collegia) multos magistros; sed viri prudentes,
docti, honesti, vix deesse desiderantur.*
Iisdem de causis Venetiarum Senatus Augustus,
de quo sine assentionis furo, vere dicas, quod
de Senatu quondam Romano, interroganti Pyro
respondit Cyneas: (1) *Tot illic confedere Reges,
quos Senatores; is, inquam, non modo Societatis
Professoribus in Academicam Patavinam aditum
interclusit, verum etiam Philosophiæ, ac Theolo-
giæ Pataviæ educendæ spem illis ademit solemnem
Decreto, anno 1591. Academicæ causam orante
Cæsare Cremonino; in cujus actione hæc ad in-
stitutum notanda veniunt: *Se convenisse, Serenissi-
mo Principe, ebe la Republica Veneziana vivere
ad esempio degli altri Principi, addurrei Patavia,
Pisa, Bologna, Perugia, Ferrara, e gli altri luo-
ghi di Studio (salvo Roma per interesse proprio di
quella Città) dove non si permette altro Studio,
che il publico. E Roma appunto, poichè ho fatto
menzione di lei, può essere un giovevole esempio alla
Republica di Venezia: essendo lo Studio publico,
per l'introduzione de Collegi di questi Padri in ef-**

(1) Plutarch. in Pyro. (2) Cujusmodi Doctores humanitatis sint Jesuitæ. (3) Jesuitarum disciplina
est principalissima causa hodiernæ barbariæ. (4) Prætextus Jesuitarum frivolus, & ridiculus. (5) Quid est
quod fuit? ipsam quod futuram est. Eccl. 2. Ante exortos Jesuitas erant consummati litterarum magistri. (6) Fal-
sum mali tanti remedium.

seu concionandi provincia, aut in Scholastica
Theologia defixis. Remedium malo foret, (1)
si & pauciora sint Collegia, ubi Humanitatis
studia coluntur, & professores eorum plus ho-
norentur. Nunc enim, cum videant, quo quis-
que sit litterarum humaniorum imperitor, eo
pluris illum fieri, & ad officia promoveri; aut
omnes, et plerique omnes abeunt ab ista via,
& viam ignorantiam, majoris fieri solitam, in-
sistunt. Maximæ sane difficultatis negotium est,
ita litteras istas moderari, ut & sufficiant, nec
aliis disciplinis, quæ Societas proficitur, impe-
dimentum afferant.
Altiore studia majore cura tractantur, quam
vires eorum, qui præstantes in illis evadunt, exi-
guus sit numerus, (2) si respiciamus ad tam
excellenti ingenia, quæ in Societatem recipi-
untur, & ad otium, quo toto tempore studiorum
gaudent. Ejus rei causa esse debet, partim
quod locus desit, in quo exerceant, quod didi-
cerunt; partim quod fundamentum in huma-
nioribus litteris, non bene factum, habeant.
Scholastica studia sicca sunt, neque toti vita
conveniunt. Et quoniam iis dedit neque Sanctos
Patres, neque linguas intelligunt, ut Sa-
cris litteris possint incumbere, eo fit, ut aut
concionibus sacris, aut otio se dedant.
Non erit operæ dispensandum, his adnectere par-
tem epistolæ, quam eodem anno scribebat *Alme
Salvaticensis, studiorum, ac studiorum secundissimæ
Matris, (sic ipse loquitur) Andreas Trevi-
sius, Serenissima Infantis Medicus cubicularius.*
Post pauca, hæc habet: *Ardum certe negotium
est, quod a Reverendis Patribus Societatis vobis,
& doctrinarum alylis omnibus impendit; non solum
enim publicarum litterarum tangit minus, sed reli-
gionis spectat selsigium. Quandoquidem bone litte-
re, ut futurum prædixit R. P. Joannes Mariana
eisdem Societatis, ab institutione eorundem Patrum,
jam naufragium patiuntur; & insausa jam exem-
pla docent, quam periculosum sit Ecclesiasticæ do-
ctrinæ auctoritatem ad unius religionis futurum, &
audax arbitrium paulatim sine laci, quod fiet, si
dicti Patres semel cunctas, vel precipias (ut jam
satis vitam inceperunt calcare semitam) occupave-
runt Universitates.*
Subjicit nonnulla, quæ, non brevitatis modo
gratia, omitto, sed etiam, ne duriora, & otiosa
sectari, videar, & cause, quam ago, non omni-
no propria. Prosequitur hanc in modum Trevi-
sius: *In Scholasticis autem jam percipit mundus,
cui antiquorum Patrum Ecclesiæ Doctorum non tam
facile comprobatis acquiescent sententiis; particulares
enim cum summo affectu opiniones affertant: unde
non solum, excitatis turbis ob curiosas agitates dis-
putationes De gratia sufficienti, De mentis æqui-
potatione, & aliis, a celebratissimarum Universita-
tum institutis secedere, non videntur, sed heretica
pravitate damnatos libros, ut Patris Francisci Ga-
rassi Summam Theologicam, male etiam citatis sac-
re Scripturæ locis suffulcunt, aliisque erroribus re-
fertant, ex suo gremio in publicum prodire, passi
suerunt. Quibus incumbendis malis occurrere posse
apte non videtur, nisi ipsarum Universitatum vo-
lunt, atque dignitas, quæ Episcoporum auctoritate
continentur, contra omnes novatores asseruntur; ut
Apostolicam, si quidem a vere Patribus excelsam
sinceritatem, nonnulli, & aliquando ipsi etiam So-
cietatis Patres doctores, videri percipiunt, unde
facilis in temeritatem prolapsi. Claudicat enim sacra
doctrina, si ab acris quovis tantum ingenio ducatur.
Jam igitur tempus est, ut Episcopi suas colligant
Apostolicas in administrando rationes, & Univer-*

itates, & justam induant severitatem, quo tan-
ta Societati, communi consensu obistere, valeant.
XI. Diâis colophonem apponet Prædicatorum
Ordinis supplicatio, Clementi VIII. anno 1600.
facta, quam nos superiori Capite integram ad-
scripsimus. Germanicas illas scholas, quarum Ju-
dicia Molinæ vindices ostentabant, inferioris note
Academias nuncupat Religiosus Ordo, quarum
Censura neminem movere debeant; ob id maxime,
quod a Societatis Professoribus occupantur; nec
tamen, quod sciam, ullius unquam invidiam
subiit, tamen de iis minus alte sensisset. Quid
vero alie inferioris note Academicæ, in Germania,
Austria, & cetera, que in scripto recensentur, for-
tasse senserint, aut sentiant, hominem movere de-
bet. Noverit enim Sanctitas Vestra, Reverendos
istos Patres memoratis Academicis ita presso, ut
morita dici possit, nihil fere aliud Academicas illas
sibi velle, quam eorundem Patrum ipsissima Colle-
gia.
Nihil itaque dubitandum, Germanicas Acade-
mias, Hæreticorum artibus, atrophis, expilatio-
nibus vastatas, funditusque collapsas seculo deci-
mo sexto, ac tum Societati attributas, ut ejus
cura erigerentur, non ita feliciter emerisset, ut
quam pristinae claritudinis jacturam fecerant, no-
vorum Moderatorum ope reficerent. Fuerant illa
quidem piissimorum Principum vota, qui eos
ad scholarum regimen advicerant: verum, an
votis facta responderint, an non potius spes il-
la decoxerit, quæ diximus hæctenus, satis pro-
bant.

CAPUT IV.

Academia Trevirensis, & Moguntina Judicium,
contra Censuram Lovaniensem anno 1588. pronun-
ciatum, a numero Congregationum Historico le-
ve, atque elumbe merito dictum.

Hæctenus de octo Germanicis Academicis
in commune diximus: jam de Trevi-
rensi, & Moguntina paulo distinctius differen-
dum; quod ea, singulari præ cæteris ratione, in
hanc sese de Divinis Auxiliis litem intulerit,
Lestii, & Hamelii patrocinio suscepto, & in
Theologos Lovanienfes, a quibus inulti fuerant,
districta Censura. Harum in meritissimos Theo-
logos judicium pronunciatum, leve diximus, &
elumbe Lib. 1. Hist. Cap. 3. nonnullaque levita-
tis argumenta obiter, ac velut in transeuntis ex-
secuti sumus. Id in invidiam trahit Syndicus
Trevirensis, nosque ea de causa cynica licentia
defricat. Juste ne, an injuria, perpendamus.
Ac primo quidem, ex dictis hæctenus præjudi-
cata res est. Qui enim judicium, ipso jure nul-
lum, leve dixerit, & elumbe, is certe non ad
invidiam, sed ad gratiam locutus videbitur æquis
rerum æstimatoribus, qui deterioris fortis esse
norunt judicium jure nullum judicio levi, atque
elumbe. Id porro Capite 2. hujusce nostræ opellæ
plus satis ostensum est; judicium nempe a Ger-
manicis Academicis, in Causa de Divina Gratia
Auxiliis, pronunciatum, vel ex sola Judicium
conditione pro nullo habendum, cum illic in
propria causa Societas, cuius imperio Academicæ
illæ reguntur, pronunciarit, ac sibi jus dixerit.
Et vero, quam in aliis judiciis affectatam calli-
ditatem deprehendimus Capite 2., eandem in
hocce Trevirensem judicio observavimus; quinque
scilicet Societatis Professores una cum aliis tribus
Censuram expedites, tacita in chirographis pro-
fessione, ut suam commodius scenam luderent:
Pe-

(1) Verum Remedi um. (2) Pauci inter Jesuitas boni Philosophi, & Theologi.

Petrum Pollium, Academiae Decanum, Joannem Gibbonum, Joannem Machereninum, Ambrosium Carolum, & Hermannum Sandorpium.

Eandem iudicii levitatem aequae colligat ex nominis obscuritate, quam, nulla verbi invidia, iisdem Academicis obiectam, ostendimus Capite praecedenti praesertim cum ex iudicii maiestate iudicio pondus accedat. Hinc a Caramuele (1) sapienter observatum, nonnullarum Academicarum iudicia nauci faciendae, ac ne cum unius quidem viri docti opinione conferenda, vel ob id unum, quod nominis claritudinem, ob lapsam studiorum, & Graduum disciplinam, iam dudum amiserint.

Sed & ipsos Societatis Oratores, qui publicam causam, in altera mox enata de Divinis Auxiliis controversia, adversus FF. Praedicatorum, coram Apostolica Sede tuebantur, hoc idem Trevirensium, & Moguntinorum iudicium, leve admodum, atque elumbe habuisse, compertum est. Cum enim identidem a Dominicanis Actoribus Belgicarum Censurarum auctoritate premerentur, alia illi diverticula subibant, ut illarum vim, ac pondus eluderent; nupsiam tamen contrarias Trevirensium, & Moguntinorum Censuras opponebant: quod tamen e re ipsorum maxime videbatur: quod clavum in illis rerum suarum angustiis clavo truderent. Id in publicis congressibus, coram Clem. VIII. celebratis, videre fuit. Lovanienfis Censurae auctoritatem urgebat Dominicanus Interlocutor: silentium illis a Sixto V. impositum, reponeret Molinianus Orator: quod ille responsum nullo negotio occupabat, indicium silentium, inquiens, translata ad supremum Tribunal, non iudicata causa: atque idcirco nihil auctoritatis Censurae detractum. Quid-ni felicius suum illud Trevirensium, & Moguntinorum iudicium, (2) contra Censuram Lovaniensem ex instituto pronunciatum, Dominicanis Actoribus in obscurissimum: nisi leve nimis, atque elumbe reputasset, quam ut domesticam causam eo suffragio tueretur; pudorque fuisset, iudicium, ab ipsis Societatis Professoribus latum, in Societatis doctrinae patrocinium ostentare? Nihil quippe occurrere poterat instituto accommodatius; quo Praedicatorum Actorem, Belgicas Censuras confidenter essentem, retunderet, si quid Moguntinorum, & Trevirensium iudicio auctoritatis inesse existimasset.

II. Verum minus haec in Historia morabar, rametis refractariolis ingenii revincendis abunde sufficiant: quippe qui Censuras, Treviris, & Moguntiae latis, non ex ipsa Censurarum conditione leves, atque elumbe vocitabam, ne tantam illis constarem invidiam, sed Belgicarum Censurarum comparatione, spectatisque momentis, quae asserta sua communiverant. Cum enim, inquebant, Theologi Lovanienfes, ac Ducentes Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum oracula magno numero congestissent; Trevirenses, & Moguntini, ne vel uno subindicato, quo Belgas delulos ostenderent, sententiam dictatorio more pronuntiabant: ipse dixit: Digito compescere labellum. Quis ergo non videat, quam nullam causam haberit expandendi Syndicus Trevirensis? Reclamat nihilominus in vulgata Quere-la, nec sine morfu: O hominem, inquit, solo tantum nomine candidum, caetera nigerrimum! Nequiter enim causam abscondit, cur Facultas Theologica Trevirensis nudum duntaxat iudicium in re nota tulerit, nullis additis rationibus. Nolebat nimirum dicta Facultas actum agere, quod Patres Societatis Lovanienfes, quorum causam defendendam susceperat, novi nihil protulissent, quod non aliis in locis, etiam Romae, coram ipso, ad quem potissimum Censurae eiusmodi pertinent, Pontifice doceretur. Non maledicta, Clarissime Syndice, sed tuam tibi figuram reddo. O hominem sola audacia faciendum, caetera vero vaserrimum! Attente enim Controversiae statum abscondit, de qua iudicium tulerat Academia Trevirensis. Societatis liquidem Professores erroris notaverant Theologi Lovanienfes, quod nova procederent, Pelagianum errorem instaurarent, a Majorum semitis abseederent, & ab ipsa, quam non ita pridem Lovanii docuerat Bellarminus, doctrina deflecterent. Non id ergo compertum erat, sed verius, in controversiam vocabatur, an Societatis Theologi nil novi protulissent, quod aliis in locis, ac Romae, sub ipsis Pontificum oculis, doceretur. Quisquis ergo hoc idem, uti rem notam, atque compertam supponit, eaque de causa a proferendis lati iudicii momentis Academicam iure, ac merito temperasse, ait, in culpam, ne tironi quidem condonandam, incurrit; quippe qui contra dialecticae leges ipsam certo supponit, quod in Controversiam vocabatur. Certe Lessium novi aliquid Lovanii vocidisse, quod Romae, sub ipsis Pontificis oculis, non doceretur, probat Henricus Henriques, Societatis Theologus non ignobilis; qui eum, ob excitatum in Academia Lovanienfi grave scandalum, severam Sixti V. Summi Pontificis animadversionem subiisse, proficitur, Lib. de ultimo fine. Cap. 12. Qua de re plura diximus Lib. 1. Hist. Cap. 4.

Minus forte a vero abiret Syndicus noster, si Academicam suam, sententiam, nullis momentis communitam, pronuntiasset, diceret, pro ea, quae Academicis inest, de doctrina censendi potestate, quae sola dictis fidem conciliat. At & id perperam. Etsi enim ita plerumque Academiae pronunciant, dum in eos Censuras expeditum, in quos dictatoriam auctoritatem exercent; minus tamen nominis dignitatem sustinerent, si jejuna de controversiis, inter liberos, & altioris dignitatis homines enatis, iudicia ferrent; ubi non tam Censuras expeditum, quam Theologicas institutiones adorant.

III. Quamquam quid ista persequor? Sit ita, ut lubet; & Theologi Trevirensibus dictatoriam in Lovanienfes auctoritatem exercere liceat; factisque fuerit, atque ita, ut quid mihi vicio datur, quod iudicium, rationibus jejunum, brevi pagella contentum, leve, atque elumbe vocitatum, alterius comparatione iudicii, a supremi ordinis Academia dati, & congelis propemodum infinitis Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum oraculis communiti? Atque id quidem, ubi ad domesticam scholae defensionem loquor, & apologeticam Belgicarum Censurarum Historiam adorno.

Mira certe res, & cachinnis omnibus digna! Censuras non paucas, pro varia conditione temporum, in Societatem, ejusque privatos Scriptores, expeditit Theologiae Facultas Parisiensis, caeterarum toto orbe Mater, & Caput. Quale de Jesuitis iudicium tulerit anno 1554, norunt omnes; nec ego obducam illius cicatricem reficere velim. Sed anno 1626, die 4. Aprilis Antonium Santarellum gravi censura notavit, quam peculiaris Decreto tabulis suis inscribendam, & quotannis publice legendam, sanxit Academia universa 20. ejusdem mensis. Illius exemplo ejusdem Santarelli librum proscripturum eodem anno Academiae Gallicae, Cadomensis, Rhemensis, Tholosanae, Burgalensis, Pictaviensis, Valentinae, Bituricensis &c. Eiusdem anni mense Septembri Francisci Garrasi Summam Theologicam confixit. Non paucos de Sacramento Confirmationis errores, ab Angliae Sociis procosos, Censorio stigmatate inussit anno 1531. Stephani Baunii Summam de peccatis proscriptam anno 1641. famosam Casulitarum Apologiam, gallice scriptam a Jesuita Piroto, ferit anno 1659. Matthaeum De Moja, sub Amedaei Guimenii larva latitantem, censorio mucrone percussit anno 1665. Propositiones plures Gobiani, Comititis, Dezilii, de Religione, & Cultu Sinenfium reprobavit anno 1700. Quid interim Societatis Professores? Certant pro aris, ac focis, etiam sub Gallico caelo; suam inultis Sodalibus advocacionem accommodant, congegit magna mole libris, & scriptionibus; in iis fales omnes advocant, ut Academicarum Principem, ejusque Censuras ludant; Sorbonae iudicia flocci faciendae, nullius auctoritatis, ac roboris habenda, Sequamur non transire, a viris liyore percitis cudi, malo genio, animisque in transversum actis fabricari, ajunt: (1) Celebre olim Sorbonae nomen fuisse, iudiciumque in pretio habitum; postea paulatim illius auctoritatem viluisse, eruditione destituisse, scetera calumnias; FACEM ESSE CELEBRIS ACADEMIE, IN ANGLIA CENSURARUM NOMINA Cleri Anglicani Procces ambuisse, cui solida defensionum praesidia non suppetebant; luce palam convictos sumum Orbi vendere, quo lucem creperent, ne vici viderentur; etiam iis duriora congerunt, quae vel referre pudor esset; capita, omnium cultu reverenda, immodico sale defricant, sacrosque concessus jocum, ludumque faciunt: atque id sibi licitum putant viri boni, iusto defensionis titulo, ut repungant, & Principis Academiae, cujus Censuris inulti sunt, auctoritatem imminuant; quamquam se alieni juris, ac fori obtendere, omnino non possint. Et tamen, si superis placet, me Syndicus Trevirensis, Societatis Procurator, ingentis placuli reum agit, quod alieni soli, & inferioris ordinis Academiae iudicium, in Theologicum Ordinem, eruditionis fama praestantem, pronunciatum, leve dixerim, & elumbe. Proh superi mites animos!

Quid, quod Belgicas Censuras mille conviciis onerant? has, malo in Societatem animo fabricatas, ab Ecclesia confixas, Janseniano, & Calviniano errore resperfas, libris suis, ac praesertim delectant: & id quidem, ut sibi videntur, aequo jure. Mihi vero vicio vertit Molinianus Actor, facinusque putat, morte luendum, quod Trevirensibus, & Moguntinis Dictatoribus sponte sales non submiserim, & Censurarum levitatem objecerim. Pondus, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum. (2) Quid si illas inania Censurarum nomina appellasset, ab iis expectata, quibus solida defensionum praesidia non suppeterebant; qui palam convicti sumum Orbi venderent, ne vici viderentur; qui faciem obscuri nominis Academicarum sperarent magni esse faciendam? Nemo profecto esset, qui haec, in Jesuiticas illas Academiae meius conjecta, non ferretur, quam in celeberrimam toto orbe Christianam Parisiensem Facultatem. Sed nil ego hujusmodi.

IV. Alteram obiectae levitatis rationem adjeceram: quod ne Belgicas quidem Censuras legissem, quo eas tempore fugillaverant. Cum enim Propositiones triginta quatuor confixissent Theologi Belgae, sex duntaxat confixas, Germani ajunt, & ab impactis Censuris absolvent. Ita quippe Trevirensis iudicio praesertim: Prodit su-
priori anno Censura Theologorum Facultatis Theologiae in Academia Lovanienfi, qua, tanquam pere-

grinas, offensivas, periculosas, haeresisque vicinas, damnant, atque rejiciunt sex Propositiones, a Professoribus Societatis Jesu in scholis suis Lovanii doctas, & publice traditas, de quibus rogati, ut nostrum iudicium communicarem, negare non possumus id officii, quod veritatis confirmationi debetur. Ita vero Theologi Moguntini. Quoniam a Facultate nostra Theologica petitum est, ut sententiam de sex Propositionibus, inter Academia Lovanienfis Doctores, & Societatis Jesu Theologos controversis, ferremus; non possumus, non tam iusto petitioni satere satis, & breviter iudicium nostrum in veritatis patrocinium hoc scripto communicare. Quid aperi-
tius, quid nitidius? Et id tamen obelo notat Metzenius; additque convicio superbae auris fastidium prodit. Nunquid hoc est, inquit, redviam curare, ubi capiti medendum est? Sex tantum Propositiones, censura notandas, sibi Germanica Academia delegavit, in quibus rei casus vertebatur: reliquas, quod ad rem non essent, silentio praetermiserit. Ideo earum iudicium leve, elumbe, volaticum fuit? O Medici huic mediam pertundite venam?

Quid reponere possum, si maledictis certandum esset, fat vides, mi homo? An eam interpretationem gemini iudicii verba praesertim, dicant, quibus cerebrum integrum est. Propositiones quatuor supra triginta confixerant Lovanienfes: si itaque, lectis ex integro, perpensis, & ad crillum vocatis Censuris Belgicis, totidem confixas Germani noverant, sed forte, ut operi parcerent, sex tantum, in quibus rei cardinem verit crediderent, notandas elegerant, caeteris silentio missis, quod sibi ad rem non esse viderentur; cur nihil ejusmodi quidquam in geminis iudiciis significat? Cur summam integram ad certa capita revocata, non innuunt? Sed contra potius, sex a Lovanienfibus rejectas praesertim, nulla caeterarum inijcta mentione. Immo omnes senario numero concludi, ajunt: Omnes sex Professorum Societatis Propositiones.

Et vero, aut iis Propositionibus absolutis, reliquas, utpote ex eadem radice fluentes, inoffenso pede doceri posse, arbitrabantur Germani Theologi, aut non. Si primum; postulabat igitur officii ratio, ut id obiter saltem innuerent; ne quis forte Jesuitas, Belgicis Censuris inultos, a Germanis ne dimidiatae quidem absolutos, effugeret. Si alterum; non est, cur adeo de Germanorum iudicis gloriantur, qui Propositiones viginti, & octo sub Censurarum virga reliquissent. Certe, cum ne sex illas quidem Propositiones, in iudicium adductas, distincte dispungant, nec minutatim ad crillum revocent, nec peculiare singularum examen intituant; sed promissive, dictoriae auctoritate, brevi pagina rem totam expediant, easque passim a Catholicis Theologis doceri pronunciant, atque ita Censura vacare: nihil omnino cause erat, cur Propositiones triginta quatuor ad sex duntaxat revocarent, ut vel operi parcerent, vel brevitati confererent; tantundem enim aut operis, aut spatii succurrebat, ut triginta quatuor propositiones absolventer explicatae, atque distinctae.

V. Id ergo compertum, id certum, velit, notat Syndicus Trevirensis, Germanos Theologos, ne visis quidem Censuris Belgicis, iudicium festinasse, nec sex ex tam multis selegisse, unde caeterae fluere; sed Socios ipsos, Lovanii notatos, delectum fecisse; & sententiam de sex duntaxat transmissis propositionibus postulasse. Delectum a supplicibus factum, nedum quae diximus, probant, sed

(1) Jesuita Angli contra Censuram Parisiensem Facultatis. (2) Prover. 20.